Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25938
Copyright: Admont, Benediktinerstift

IUDI

OSTIORTIE

Josue consuluerunt filii israel dominum dicentes. Quis ascendet ante nos contra chananeum: et erit dux belli. Dixitq; dominus. Judas ascendet: ecce tradidi terram in manus eius. Et ait iudas symeoni fratri suo. Ascende mecum contra chananeum in sorte mea et pugna. ut et ego pugnem in sorte tua. Et abiit cum eo symeon. Ascendit q; iudas. et tradidit dominus chananeum ac pherezeum in manus eorum. Et percusserunt in bezeth. x. milia uirorum. Inuenerunt q; adonizebech in bezech et pugnauerunt contra eum et percusserunt chananeum et pherezeum. fugit autem adonizebech: quem secuti comprehenderunt cesis summitatibus manuum eius ac pedum. Dixitq; adonizebech. Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant submensa mea ciborum reliquias. Sicut feci ita reddidit michi deus. Adduxeruntq; eum in hierusalem. et ibi mortuus est. Obpugnantes autem filii iuda hierusalem ceperunt eam. et percusserunt in ore gladii tradentes eis ciuitatem incendio ciuitatem. Et postea descendentes pugnauerunt contra chananeum qui habitabat in montanis et ad meridiem in campestribus. Perge q; iudas contra chananeum qui habitabat in hebron. cuius nomen fuit antiquitus cariatharbe. percussit sisai. et hyaman. et tholmai. Atq; inde profectus abiit ad habitatores dabir cuius nomen uetus erat chariathsepher. id est ciuitas litterarum. Dixitq; caleph. Qui percusserit cariathsepher et uastauerit eam dabo ei axam filiam meam uxorem. Sumq; cepisset eam othoniel filius cenez frater caleph minor. dedit ei filiam suam coniugem. Quam pergentem admonuit ut petiret a patre suo agrum. Quem cum suspirasset sedens asino. dixit ei caleph. Quid habes. At illa ait. Da michi benedictionem: quia terram arentem dedisti michi. da et irriguam aquis. Dedit ergo ei caleph irriguam superius et irriguam inferius. Filii autem cinei cognati moysi ascenderunt de ciuitate palmarum cum filiis iuda in desertum sortis eius quod est ad meridiem arad et habitauerunt cum eo. Abiit autem iudas cum symeone fratre suo. et percusserunt simul chananeum qui habitabat in sephat et interfecerunt eum. Vocatumq; est nomen urbis horma. id est anathema. Cepitq; iudas gazam cum finibus suis. et ascalon cum finibus. atq; accaron cum terminis suis. fuitq; dominus cum iuda. et monta